Quam anno superiore emisimus de Phaedro Platonis commentationem, ea demonstrare conati sumus, ex iis, quae in hoc libro memoriae prodita sint de Isocrate, haudquaquam caussam et rationem repeti posse, cur nobilissimi operis primordia in Platonis iuventutem incidisse existimanda sint, adeoque contrarium inde colligi licere. Quae quidem disputatio nostra quoniam idoneis harum rerum iudicibus ita probata est, ut per eam error criticorum latissime pervagatus aliquando sublatus esse visus sit, data hac scribendi opportunitate committere noluimus, ut inchoatae quaestionis telam imperfectam relinqueremus. Neque enim res exigua agitur, aut quae ad unum illum Platonis librum, qui Phaedri nomine inscriptus est, pertineat; imo quaestio instituta multo patet latius pertinetque ad universam Platonis philosophiam, quam nuper verissime iudicarunt viri sapientissimi ita tantum rectius intelligi subtiliusque iudicari posse, si varia distinguantur tempora, quibus philosophus rationem doctrinamque suam tanquam pedetentim excoluerit et ad eam, quam postremo consequutus est, perfectionis laudem propius adduxerit. Quippe fuit profecto Plato non is, neque pro temporum ingeniique sui rationibus is esse potuit, qui sese statim ab initio suscepti philosophiae studii certae alicui doctrinae rationi dederet in eaque constanter usque perseveraret, quemadmodum hodie fere nostri faciunt, qui se saepenumero, ubi vix academiae spatia emensi sunt, continuo Kantianos, Schellingianos, Herbartianos et nescio quarumnam aliarum scholarum assectatores profitentur, ac deinde per totam vitam suam maximo studii ardore id unum potissimum

agunt, ut partes semel susceptas laudabiliter sustinuisse constanterque tuiti esse existimentur. Imo ille inexstincto agitatus veritatis studio et amore perpetuo id propositum tenuit, ut quidquid ab aetatis illius sapientibus ad locupletandam amplificandamque philosophiae disciplinam inventum esset aut excogitatum, id omne sedulo pervestigaret et ab aliis continuo ad alia progrederetur, usque dum denique ad altum illud escendisset sapientiae fastigium, quod ipsum postremo attigisse vel illi cum admiratione fateri solent, qui, quoniam quidquid ab eo litteris perscriptum est promiscue ac temporum diversitate non animadversa in unum confundunt, fere eo deveniunt, ut multum intelligendo revera parum aut nihil intellexisse existimandi sint.

Quamobrem nos, ut diximus, operae pretium facturos esse arbitramur, si disputationem de Phaedri aetate et primordiis susceptam persequamur ulterius, praesertim quum ex huius potissimum dialogi rationibus etiam iudicium de aliorum scriptorum Platonicorum aetate et cum ceteris philosophi scriptis coniunctione ac necessitudine suspensum sit. Nec vero eam quaestionem putamus alio nomine iniucundam aut parum fructuosam fore. Pertinebit enim simul etiam ad Lysiam, quem omnes consentiunt in maximis Atticae eloquentiae ornamentis numerandum esse. Etenim propositum nobis est hac scriptione nostra similiter de Lysia explicare, atque anno superiore de Isocrate fecimus, et pro viribus ostendere, nec in iis, quae in Phaedro de Lysia expromuntur, quidquam reperiri, unde librum Platonis iuvenile ipsius opus esse appareat. Quae res ubi nobis feliciter cesserit, certe non iniuria videbimur perfecisse, quod ad obtinendam caussam, quam defendendam suscepimus, plurimum valeat.

Censuerunt autem viri doctissimi, qui Phaedrum volunt iuvenilem esse Platonici ingenii fetum, quae in hoc opere de Lysia eiusque studiis oratoriis exposita leguntur, ea propterea maxime ad confirmandam hanc

sententiam suam valere, quod ea in Lysiam iuvenem quidem aut virum aetate florentem conveniant; in eundem autem senem factum et grandi senectute venerabilem non conveniant. Nam primum quidem animadvertunt, oratorem celeberrimum in opere Platonis non alium nisi scriptorem orationum sophisticarum et panegyricarum informari; forensium eius orationum, quibus tamen summam eloquentiae laudem consequutus sit, nullam plane duci rationem. Quod certe arbitrantur esse eiusmodi, unde nullo negotio colligi liceat, librum Platonis ante Olymp. 94. 1. litteris consignatum et foras in lucem publicam emissum esse. Deinde illud quoque perquam mirum ac prope absurdum esse dictitant, quod Plato existimetur senem oratorem, neglectis plane egregiis eius virtutibus maximisque de Attica eloquentia meritis, tam acriter corripuisse acerbeque castigavisse, quam in Phaedro factum sit. Quippe istud quidem multo rectius atque facilius fieri potuisse censent, quo tempore et ipse philosophus iuventutis aetati fuerit propinquior et Lysias nondum eam eloquentiae laudem fuerit consequutus, qua ipsum post Olymp. 94. ornatum esse certissimis veterum scriptorum testimoniis compertum habeatur. Haec igitur sunt fere illa, quae Fried. Schleiermacherus Praef. ad Phaedr. p. 73. ed. II. Krischius: *Ueber Platons Phaedrus* pag. 29 sqq. 133 sqq., denique alii, qui Schleiermacheri sententiae hac in caussa suffragati sunt, in medium protulerunt, quo etiam ex Lysiae mentione atque censura in Phaedro facta apparere evincerent, veram esse quam ipsi de libri Platonici tempore natali animis suis suscepissent opinionem. Nec vero ullo modo negari potest, esse haec argumenta admodum gravia et quae facile quem movere possint, ut illi rationi accedendum statuat. Quo studiosius nobis, qui contrariam sententiam amplectendam censemus, illud agendum videtur, ut tota caussa denuo subtiliori examini subiiciatur, quo certius, quid rei sit, ab omnibus intelligi et iudicari possit. Fieri autem id nostra sententia ita demum poterit, si

primum quidem de Lysiae vita, aetate atque studiis quae ad rem praesentem pertineant paucis exposuerimus; ac deinde exquiramus, num habita illorum ratione fieri recte potuerit, ut Plato aetate provectior de illo scriberet, quae ab ipso in Phaedri opere scripta esse satis testatum habetur. Quibus omnibus explicatis futurum esse speramus, ut quo iure nos hac in re ab aliorum iudiciis nostram sententiam seiungendam existimemus, omnibus denique sponte appareat.

In explicandis vero atque iudicandis iis, quae ad vitam, studia et consilia Lysiae pertinent, consultum duximus sequi quam diligentissime auctoritatem veterum scriptorum, qui de eo vel dedita opera vel etiam per occasionem et quasi obiter exposuerunt, Dionysii, Ciceronis, Photii, Plutarchi, aliorum. Qui quidem scriptores etiamsi nonnulla minus accurate vel etiam falso tradiderunt, sicuti suo loco demonstrabitur, tamen ubi paucos istos errores eorumque opportunitatem accurate animadverterimus, nemo temere adstipulandum putabit iis, qui nuper eorum fidem auctoritatemque multipliciter labefactare conati sunt, perturbatis inprimis etiam rationibus chronologicis. His igitur ducibus de vita ac fortuna Lysiae haec exposuisse iuvabit.

Natus est Lysias Athenis, ut narrant Cicero Brut. c. 16. Dionysius Hal., Plutarchus et Suidas, vel, ut accuratius tradunt Iustin. Hist. V. 9. Orosius II. 27. et Photius, Syracusis, et quidem archonte Philocle, h. e. Olymp. 80. a. 2. s. 459. a. Chr. Hanc enim rationem mox adversus quorundam dubitationes nuperrime excitatas utique tuendam esse videbimus. Puerulus quindecim annorum comitante fratre natu maiore, Polemarcho, cuius etiam in Phaedro Platonis p. 257. B. mentio iniicitur, vel, ut alii tradunt, comitantibus duobus fratribus maioribus, una cum aliis colonis Atheniensibus profectus est Thurios, in qua urbe nuper demum condita vel condi coepta Cephalus pater, Syracusanus, qui iam dudum hortatu Periclis, hospitis sui, fortunarum suarum sedem

Athenas transtulerat, videtur κληροῦχος fuisse atque collata pecunia partem soli et agrorum possedisse. Erat enim Cephalus teste Platone De Rep. I. p. 330. Lysia contr. Eratosth. §. 4. Cicerone Bruto c. 16. Plutarcho Vit. Lys. in. valde opulentus, ut illic quoque latifundia sibi comparare potuerit. Itaque Lysias, quamvis etiam tum puerulus, una cum Polemarcho fratre Thurios profectus est, non alio, opinor, consilio quam ut ambo aut, si mavis, tres fratres locatam ibi a patre bonorum portionem capesserent, ac fortasse etiam novam agri Thurini partem acquirerent, id quod sane ex Photio et Plutarcho verisimiliter coniicere licet. Narrat autem personatus Plutarchus p. 37. ed. Westerm., caussam itineris ab iis Thurios suscepti extitisse obitum Cephali parentis. In quo error aliquis lateat prorsus necesse est, sicuti dudum acute pervidit Ios. Socherus De Scriptis Plat. p. 339. Nam primum quidem Cephalum etiam post Olymp. 84. 1. = 444. a. Chr. n., in quod tempus communi omnium consensione iter illud Lysiae ac Polemarchi incidit, vitae luce usque fruitum esse, satis certo compertum habetur. Interest enim senex divinis illis sermonibus, qui in Republica Platonis habentur, quos quidem aliquanto post illud tempus institutos fingi nemo quisquam dubitaverit, qui omnem scenae ornatum, quem Plato adhibuit, consideraverit paullo diligentius. Huc accedit quod Lysias ipse Orat. adv. Eratosthen. §. 4. testatur, parentem suum triginta annos Athenis habitavisse. Quocirca is si iam Olymp. 84. 1. vel 2. = 444. a. Chr. mortuus esset, profecto ea aetate a Pericle, cuius suasu et hortatu Athenas commigravit, illuc ut concederet, invitatus esset, qua hic ipse nondum capessiverat rempublicam, h. e. Olymp. 76. 3. Constat enim Periclem quinquennio demum post Olymp. 77. 4. = 469. a. Chr. ad rempublicam accessisse, solum autem rerum summae praefuisse aliquanto post inde ab Olymp. 84. 1. s. a. 444. usque ad Olymp. 87. 4. s. 429. a. Chr. Quis autem est qui sibi persuadeat, Periclis consilium apud Cephalum illis iam

temporibus, quibus ipse nondum eam in sua civitate nactus erat potentiam et auctoritatem, ut opulentum inquilinum ab invidorum civium iniuriis tutum praestare posset, tantum valuisse, ut eo accepto continuo, pristina rerum suarum sede relicta, se in Atticam conferret ibique reliquam aetatem degere animum induceret? Haec igitur qui secum diligenter perpenderint, ii certe facile sibi persuadebunt, opinor, Plutarchum isto quidem loco falsa tradidisse, id quod etiam ideo credibile est, quia Dionysius, Cicero, Photius, ceteri scriptores omnes, ea de re egregie tacent. Itaque nos quidem de re controversa ita statuendum existimamus. Vixit Cephalus etiam post Olymp. 92. 1. atque grandis senex sermonibus Reipublicae Platonis interfuit, quos rebus omnibus diligenter exploratis nunc cum Aug. Boeckhio non alio tempore quam Olymp. 92. 2. = 410. vel 411. a. Chr. peroratos esse censemus. Iam vero ille ipso Lysia teste Orat. c. Eratosthen. §. 4. triginta annos Athenis habitavit. Qui annorum numerus videtur rotundus esse, ut etiam paullo amplius vel brevius temporis spatium eo designari potuerit. Etenim ubi tempus commorationis sumserimus accuratius ab oratore indicatum esse, certe necessario efficietur, ut Cephalus iam Olymp. 85. 1. i. e. 440. a. Chr. n. fortunarum suarum sedem alio transtulisse existimandus sit. Quod plane est incredibile, siquidem vere memoriae proditum est, de quo omnes consentiunt, eum, quo tempore iam Athenis fuerit commoratus, filios suos Thurios misisse. Itaque facilis sane coniectura est, eum iam ante Olymp. 84. 2. s. 443. a. Chr. Athenas commigravisse. Est autem perquam verisimile, id anno ante, h. e. a. 444. a. Chr. n., ita accidisse. Quod profecto egregie convenit cum Periclis rationibus, quem novimus illo ipso tempore ad summae potentiae fastigium in Athenarum civitate escendisse. Congruit item optime cum rebus ipsius Cephali, quippe qui isto pacto tum, quum Thuriorum condendorum consilium ab Atheniensibus initum esset, utpote etiam tunc Syracusanus, partem bonorum suorum opportunissime in

recenti colonia collocare potuerit. Quippe deducta est nova colonia Olymp. 83. 3. = 446. a. Chr. archonte Callimacho; v. Diodor. Sic. XII. 10. ibique Wesseling, coll. Bentleio Opusc. p. 370. vel, ut Dionysius Hal. Vit. Lysiae et falsus Plutarchus volunt Olymp. 84. 1. quod nullo negotio ita conciliaveris, ut novam coloniam statuamus per duos annos usque novis colonis auctam et corroboratam esse. Itaque Lysias quum in Orat. c. Eratosth. l. c. accuratius debuisset dicere: ἔτη τριάκοντα τρία ἢ τέσσαρα, rotundo numero triginta annos dixit, sive quoniam id oratoriae narrationi visum erat convenientius, sive quod Cephalus identidem peregre afuerat ideoque triginta annorum spatium memorare consultum esse videbatur. Verum istud quidem utcunque sese habet, illud sane pro vero atque certo poni posse existimamus, quod modo statuimus, Cephalum Olymp. 84. 1. = 444. a. Chr. Athenas commigravisse, neque hac rerum conditione obscurum putamus, cur paullo post filios suos in Graeciam magnam delegaverit. Cuius rei caussa non perspecta bonus Plutarchus, qui clari historici nomen mentitur, protenus statuit, mortem Cephali itineris istius opportunitatem attulisse, insuper etiam hoc addens, quosdam in ea fuisse sententia, ut Cephalum putarint Gelone regnante a Syracusanis patria eiectum fuisse, qui error ei, quem modo notavimus, utique est consimilis. Atque haec si non improbabiliter disputata sunt, nunc etiam sponte intellectum iri putamus, quo iure supra eos dixerimus rectius iudicavisse, qui Lysiam Syracusis natum esse memoriae prodiderint, quam qui eum fecerunt ortu Atheniensem. Nam Lysias quum Olymp. 80. 2. = 459. natus esse perhibeatur, Cephalus autem Olymp. 84. 1. demum Athenas concesserit, liquido apparet, eum Syracusis in lucem editum esse ac puerulum quindecim ferme annorum una cum parente Athenas commigravisse, unde tamen mox rursus Thurios abiit. Nimirum qui eum Athenis natum esse voluerunt, ii vel quia magnum eloquentiae lumen totum Athenis vindicare studuerunt vel quia

eum per totam fere vitam ibi vixisse compertum habuerunt, istud ipsum arbitrio suo posuerunt, eoque etiam Ciceronem ac Dionysium in erroris societatem pertraxerunt. His vero utcunque explicatis, eadem opera etiam alium errorem videmur sustulisse. Censuerunt enim nuper viri doctissimi Fr. Vaterus, Casanus, in Iahnii Horreo Phil. Vol. IX. p. 165 sqq. et Car. Frid. Hermannus, Gottingensis, in libro: *Gesammelte Abhandlungen und Beiträge zur klassischen Literatur.* Götting. 1849. 8. p. 15 sq., omnes omnino scriptores de anno Lysiae natali falsa tradidisse, quandoquidem ille aliquanto post natus esse putandus sit. At enim vero patefacta iam Plutarchi de morte Cephali fraude certe gravissima videtur caussa sublata esse, cur de communi omnium scriptorum fide vel tantillum derogemus; id quod posthac etiam luculentius apparebit, ubi locus Plutarchi, quo error *Vateri* nititur, correctus et emendatus fuerit.

Sed his utcunque expeditis videamus iam porro de vita Lysiae. Is igitur Thuriis, quorsum Olymp. 84. 2. abiit, posthac mansit perpetuo usque ad Olymp. 92. 1. s. 412. a. Chr. n. Eo enim tempore quum post infelicem Atheniensium expeditionem in Siciliam susceptam Thuriis orta esset seditio, Atticismi accusatus Athenas reverti coactus est, id quod omnes consentiunt ita anno aetatis ipsius fere quadragesimo septimo accidisse, postquam Thuriis amplius annos triginta commoratus erat. Intra hoc vero temporis spatium haud sane exiguum non modo ampliores rei familiaris copias contraxit, verum etiam doctrinae opes insigniter auxit et amplificavit. Suppeditata enim erat in nova colonia non exigua comparandae eruditionis opportunitas. Nam quum ibi ex legibus Charondae litterarum studia in magno honore haberentur (v. Diodor. Sic. XII. 12, 13.); brevi ita evenit, ut undique illuc confluerent homines artium ac doctrinarum amantes, qui et ipsi nominis sui fama novam civitatem redderent illustriorem. In quorum numero quum multi alii

fuerunt, Empedocles, Herodotus, qui ibi historias suas scripsisse fertur ideoque etiam Thurius appellatus est, Protagoras, (v. Diogen. Laërt. VIII. 52. Plin. H. N. XII. 4. Strabo XIV. 1. Vita Thucyd. ἀδέσποτος, al.); tum etiam Siculi quidam rhetores nobilissimi commemorandi sunt, inprimis Tisias Syracusanus, qui post litem cum Corace, magistro suo, agitatam illuc concesserat. V. Plutarch. Phot. Suid. in Vita Lysiae, Pausan. VI. 17, 8. Dionys. Hal. De Isocr. p. 535. coll. Spengel. Synagog. Artt. p. 37. Ac Tisiae quidem etiam Lysias se in disciplinam dedit, quo disceret ab eo artem oratoriam tum a Siculis artis magistris, inprimisque a Corace, multis novis inventis, maxime ad artificiosiores dicendi formas et orationis conversiones pertinentibus, mirifice locupletatam. Cui quidem eloquentiae studio ipse ita videtur tum dedisse operam, ut id unum maxime sequutus sit atque rhetoris laudem ceteris rebus omnibus anteposuerit. Quamobrem etiam post Olymp. 92. 1. ubi rursus Athenis habitavit, in eodem studio diligentissime elaboravit. Neque res suo caruit fructu. Inclaruit enim brevi inprimis eo, quod quum iudiciales scripsit orationes, tum etiam declamationes aliasque oratorii argumenti scriptiones edidit ad ostentandam ingenii vim artisque virtutem comparatas.

Cuius rei opportunitatem ipsa tempora attulerunt. Constat enim tum Athenis eum morem invaluisse, ut studiosissime scribendis orationibus opera daretur. Quarum orationum duo potisssimum extiterunt genera, quandoquidem aliae erant iudiciales, quae aliorum caussa scribebantur, ut iis uterentur in iudicio; aliae pertinebant ad artis ingeniique ostentationem, quae fere dictae sunt ἐπιδεικτικαί, vel demonstrativae. Ac demonstrativas quidem et sophisticas orationes, sicuti iam alio loco ostendimus, primus fertur publicavisse Gorgias Leontinus, qui spreto sophistae nomine maluit rhetor videri; forenses autem, quae alieno usui inservirent, princeps scripsit Antiphon Rhamnusius, qui etiam huius

operae suae mercedem exegit. Quamquam Antiphon ne alterum quidem illud scribendi genus neglexit, sed etiam Gorgiae laudes aemulatus est, quo videretur scilicet in omni eloquentia excellere; v. Cresoll. Theatr. Rhetor. I. 10. III. 2. et Ruhnken. Opuscll. Vol. I. p. 156 sqq. et 158 sqq. ed. Bergm. Hinc igitur ortum est genus scriptorum, qui nomine primum quidem non indecoro, sed postea, si non ignominioso, at certe invidioso, appellati sunt λογογράφοι; quorum numerus postmodo videtur in dies magis crevisse; v. Platon. Phaedr. p. 357. C. 358. C. ibique Schol. Euthydem. p. 289. D. 305. B. Aeschin. c. Timarch. p. 114. adv. Ctesiph. p. 563. ed. Reisk. Demosth. De fals. legat. p. 417. Itaque ad horum studia etiam Lysias animum suum appulit. De quo praeter ceteros inprimis audiendus est Cicero, qui loco maxime memorabili Brut. c. 12. auctore Aristotele haec scripsit: *Nam Lysiam primo profiteri solitum artem dicendi; deinde, quod Theodorus esset in arte subtilior, in orationibus autem ieiunior, orationes eum scribere coepisse, artem removisse.* Iure nostro, opinor, memorabilem hunc Ciceronis locum diximus. Discimus enim inde quae ad cognoscendum iudicandumque studiorum tamquam iter, quod Lysias tenuerit, sanequam utilissima sunt. Professus igitur ille ab initio quidem artem rhetoricam est, cuius accuratiorem notitiam olim Thuriis a Tisia accepisset, ut profecto mirandum non sit, quod eidem etiam Athenis dederit operam. Postea vero, quum Theodorum Byzantium, aequalem suum, de quo v. inprimis etiam Plat. Phaedr. p. 266. E. sqq., in artis ratione vidisset plurimum excellere, ut facile palmam reportaret, in scribendis autem orationibus minus posse, missa artis docendae provincia sese ad unam maxime orationum scriptionem applicuit. Et orationes iudiciales quidem videtur potissimum inde ab Olymp. 94. 2. vel 403. a. Chr. n. scribere instituisse, quo anno contra Eratosthenem, caedis Polemarchi, fratris sui,

auctorem, publice dixit; quae oratio sicuti prima est inter eas, quae adhuc superstites sunt, ita una atque sola esse videtur, quam ipse in iudicio habuit. Quorsum pertinent verba §. 3. *ἐγὼ μὲν οὖν, ὦ ἄνδρες δικασταί, οὔτ' ἐμαυτοῦ πώποτε οὔτε ἀλλότρια πράγματα πράξας νῦν ἠνάγκασμαι ὑπὸ τῶν γεγενημένων τούτου κατηγορεῖν, ὥςτε πολλάκις εἰς πολλὴν ἀθυμίαν κατέστην, μὴ διὰ τὴν ἀπειρίαν ἀναξίως καὶ ἀδυνάτως ὑπὲρ τοῦ ἀδελφοῦ καὶ ἐμαυτοῦ τὴν κατηγορίαν ποιήσωμαι· ὅμως δὲ πειράσομαι διδάξαι: ego vero, o iudices, quum nunquam aut meam ipsius aut alienam aliquam caussam egerim, tum nunc propter ea, quae facta sunt, cogor istius accusator in medium prodire, ita ut saepe in metum coniectus sim, ne propter imperitiam meam non satis digne atque graviter pro fratre ac pro me ipso verba facturus sim; veruntamen conabor rem exponere.* Quamquam cavendum magnopere est, ne ex his verbis colligamus, quod, re diligentius considerata, inde minine colligi licet, Lysiam ante hoc tempus nullas plane orationes iudiciales scripsisse, ac si qua ipsius oratio tum extiterit, eam fuisse iudicialem. In quo multum dissentimus cum Boeckhio Mus. Rhenan. a. 1827. Vol. I. p. 71. Spengel. Artium Scriptt. p. 124 sq. Vatero in Iahnii Horreo Phil. *(Archiv f. Philol. u. Paedag.)* Vol. IX. p. 173 sq. et Krischio De Phaedro Plat. p. 20. et 129. Nam quod orator negat sese unquam aut alius cuiusquam aut suam aliquam caussam egisse (*πράγματα πρᾶξαι*), id manifesto non tam pertinet ad orationum iudicialium scriptionem et compositionem, quam ad ipsam litis actionem, quam illo tempore primum in se susceperat. Quidni igitur verisimillimum putemus esse, eum iam prioribus novem decemve annis, quos Thuriis relictis Athenis exegerat, ad hoc scribendi genus animum applicuisse, praesertim quum et Antiphon Rhamnusius idem fecisset, et ipsum diutius latere non posset, Theodorum Byzantium in arte tradenda esse subtiliorem et potentiorem? Ut igitur lar-

giamur iudicialium orationum scriptionem ab ipso post Olymp. 94. 2. demum crebrius factitatam esse, tamen eam non item iam antea ab eo tentatam fuisse, nullo argumento evinci posse putamus, neque illud profecto ex eo sequitur, quod paucae illae eius orationes, quae hodie quoque supersunt, post illud tempus litteris consignatae sunt. Sed praeter istiusmodi orationes Lysiam constat etiam alia scripsisse, quae sunt generis sophistici atque demonstrativi. Quorsum pertinent λόγοι ἐπιδεικτικοὶ καὶ πανηγυρικοί, quos Dionys. Hal. in Lysia 3, 16, 28. memorat; ἐγκώμια, quae laudant Photius Cod. 262. et Suidas s. v., λόγοι ἐπιτάφιοι, λόγοι ἐρωτικοί et ἐπιστολαὶ ἐρωτικαί, de quibus narrant Dionys. Rhetor. VI. Iudic. de Lysia p. 453. ed. R. Photius l. c. Plutarch. Vit. X. Oratt. 3. Suidas s. v. conf. Fabricii Bibliothec. Gr. T. II. p. 762 sqq. et. Westermann. Histor. Eloquent. Gr. Vol. II. p. 278 sqq. Quamobrem item quaesivisse non erit inutile, cuinam potissimum rhetoris aetati hoc scriptorum genus attribuendum sit. De qua re nobis quidem ita persuasimus, ut, quamvis nihil certi de ea decerni posse facile concedamus, tamen verisimillimum putemus esse, istiusmodi scriptiones maxime ad illa tempora referendas esse, quae artis oratoriae professioni vel aequalia vel proxima fuerunt. Nam habet id genus scriptorum sane arctiorem quandam necessitudinem et coniunctionem cum munere rhetoris artem tradentis, propterea quod complectitur declamatiunculas, orationes, suasiones ac dissuasiones, quae pariter ad artis et doctrinae atque ad ingenii ostentationem comparatae sunt: unde Dionysius l. c. p. 459. ed. R. verissime etiam Lysiam scribit in illo versatum esse μετὰ παιδιᾶς. Sed etsi istud probabiliter ita coniectari nobis plane persuasum est, tamen simile quiddam hic commonendum videtur atque antea de orationibus iudicialibus. Quemadmodum enim has censemus non omnes in tempora post Olymp. 94. 2. insequuta reiiciendas fuisse, ita nec reliqua scripta omnia, quae sunt

ἐπιδεικτικά, intra illud temporis spatium confecta esse verisimile putamus, quo Lysias vel in arte tradenda occupatus fuit vel ab unius artis professione recens. Imo rei ipsi videtur esse consentaneum, cum etiam postea, quo tempore coeperat genus scribendi forense colere, in elaborandis eiusmodi scriptis usque versatum esse. Cuius quidem sententiae nostrae caussas et rationes videmur satis idoneas in medium afferre posse. Etenim primum quidem nusquam testatum legimus, Lysiam provectiore aetate hoc scribendi genere plane abstinuisse; quod certe Dionysius et si qui alii oratoris caussam contra Platonem acrius defendendam susceperunt, haudquaquam silentio transmissuri fuissent, quum ad rem suam valeret plurimum. Deinde nec Lysiae mores et ingenium ii fuerunt, unde coniicere liceat intermississe eum postero vitae tempore eam scriptionem, quae ad laudem ingenii plurimum valeret; imo quum ipse quoque e schola rhetorum Siculorum exiisset, admodum verisimile est eum Gorgiae et Antiphontis exemplum aemulatum vel aetate grandiore ἐπεδείξεις edidisse atque una cum orationibus iudicialibus etiam scriptorum demonstrativi generis laudem usque aucupatum esse; quod tanto rectius suspicari licet, quo certius quum ex Platonis Symposio p. 177. B. sqq. tum etiam ex multis locis Isocratis constat, istiusmodo opera sophistica et declamatoria etiam posteriore tempore ingenii ostentandi caussa a sophistis et rhetoribus scripta et in vulgus emissa esse. Huc accedit, quod Lysias in Demosthenica oratione contra Neaeram, quam fere ad Olymp. 110. 1. referunt, §. 21. σοφιστής appellatur. Quod certe non tam videtur ad orationum iudicialium auctorem quam ad declamationum sophisticarum scriptorem pertinere. Quod si ita est, sponte apparet, celeberrimum rhetorem etiam posteriore vitae aetate in hoc scribendi genere usque versatum esse. Denique etiam suppetit evidentissimum testimonium, quo sententia nostra magnopere muniatur atque confirmetur. Superstitem enim etiam nunc habemus orationem funebrem

Lysiae, quae plane est generis demonstrativi atque ἐπιδειτική. Ea vero scripta est Olymp. 96. 3. vel a. 393. a. Chr. n. nisi eam cum aliis ad Olymp. 98. 2. referre maluerimus. Ex quo profecto luculentissime intelligitur, rhetorem ista certe aetate neutiquam huic dicendi scribendive generi valedixisse. Nam iis quidem, qui hanc orationem propter vitium fucatae et calamistratae dictionis a Lysia abiudicandam esse censuerunt (v. Hoelscher. De Vita et Scriptis Lysiae p. 47. et 97.), vel ideo non assentiendum arbitramur, quia illi varia scribendi genera, quibus orator pro varietate consiliorum, quae in scribendo sequutus est, minus diligenter observarunt atque distinxerunt. Quamquam illud quidem nemo temere negare audebit, quod res ipsa loquitur, eum maiorem quandam nominis claritatem utique inde ab eo demum tempore adeptum esse, quo coepit studiosius colere genus dicendi iudiciale. In hoc enim communi fere iudicio antiquitatis adeo excelluit, ut ideo prope perfectus orator habitus sit, quippe quum genus dicendi *tenue*, quod Graeci vocant *ἰσχνόν*, ad maximae perfectionis laudem excoluisse videretur. Floruit autem magna apud Athenienses auctoritate ad grandem usque senectutem. Decessit enim virium confectus imbecillitate Olymp. 100. 3. = 378. a. Chr. n. unum et octoginta fere annos natus, ut ultimos prope vitae humanae terminos attigisse existimandus sit.

Atque haec quidem sunt fere illa, quae ut de vita atque studiis Lysiae exponerentur, ad rem praesentem necessarium visum est. Superest, ut veluti corollarii loco subiiciamus nonnulla, quae pertinent ad rationes temporum a veteribus scriptoribus proditas, quas quidem supra etiam aliam ob caussam a Carolo Fr. Hermanno in libro: *Gesammelte Abhandlungen etc.* pag. 15. sqq. et Fr. Vatero in Iahnii et Klotzii Horreo Philol. et Paedag. Vol. IX. Fasc. II. p. 165. sqq. in dubitationem vocatas esse significavimus. Quippe Vaterus quidem Lysiam nobis finxit aliquanto minorem natu, quam vulgo esse putatur,

adeoque reddidit aequalem Isocrati. Hermannus autem etsi illius rationes non plane probat, tamen illud saltem ei largitur, annum Lysiae natalem aliter definiri oportere. De quo nos quidem omnino sentimus aliter. Etenim quod Vaterus l. c. p. 171. sqq. contendit, Lysiae plane eandem fuisse atque Isocratis aetatem, quandoquidem ille circiter Olymp. 86. natus sit, id nullo negotio vel ex Phaedro Platonis refellitur. Nam quod hic manifesto Isocratem Lysiae tamquam e regione ponit Socratemque de eo utpote adolescente optima quaeque augurari iubet, etsi Lysiam non claris verbis indicavit natu multo maiorem esse, tamen vel sic non obscure prodidit, alterum alteri aliquantum aetate antecessisse. Ex quo efficitur, ut secundum Platonem quidem Lysias aliquanto prius quam Isocrates natus fuisse putari debeat. Atque hanc eandem sententiam etiam reliquorum veterum scriptorum communem fuisse utique compertum habemus. Quam si dicimus frustra a Vatero in dubium vocatam esse, videmur id nobis summo iure contendere et affirmare. Quippe tota Vateri ratio hoc uno maxime nititur argumento, quod Plutarchus, qui fertur, Vitt. X. Oratt. pag. 319. ed. Reisk. = p. 34. ed. Westerm. Andocidem scribit Lysia fuisse aetate maiorem. Iam vero Vaterus quum sibi videatur in Lectt. Andocid. Spec. I. Berol. 1840. 8. demonstravisse Andocidem natum esse Olymp. 84., in quo ipsi convenit cum Meiero De Andoc. Orat. adv. Alcibiad. Part. III. p. 3., protenus inde conclusit, etiam de Lysiae aetate aliter atque vulgo fiat existimari oportere. At enim vero haec argumentatio plane infirma est adeoque aperte falsa, propterea quod fundamento nititur parum tuto. Nam primum quidem locus Plutarchi nihil probat, utpote miserandum in modum corruptus ac depravatus. Deinde Vaterus etiam natales Andocidis mero arbitratu ad Olymp. 84. retulit, quum Plutarchus, quocum sibi ex altera parte faciendum putat, alia omnia memoriae prodiderit. Nimirum verba Plutarchi, quemadmodum in codicibus perscripta leguntur, haec sunt:

ἀρχὴ δὲ αὐτῷ (Andocidi) τῆς γενέσεως ὀλυμπιὰς μὲν ἑβδομηκοστὴ ὀγδόη· ἄρχων δὲ Ἀθήνῃσι Θεογενίδης· ὥςτε εἶναι πρεςβύτερον αὐτὸν Λυσίου ἔτεσί που ἑκατόν. Ita libri mss., ut diximus, omnes. In quibus primum quidem istud ἑκατόν manifestae corruptionis indicium habere omnes consentiunt. Quamobrem critici pro eo vel ὀκτώ vel δέκα vel ἕνδεκα refingendum esse iudicaverunt. Sed ut horum aliquid verum sit, de quo statim videbimus, tamen ne sic quidem omnia persanata sunt. Nam Lysiae et Isocratis natales quum ita a veteribus definiantur, ut illum Andocide natu maiorem fuisse credere fas sit, hac luce clarius est in ceteris quoque verbis labem haerere. Eam vero facili negotio putamus elui posse sic, ut leviuscula trium litterarum mutatione facta hunc in modum legatur: ὥςτε εἶναι πρεςβύτερον αὐτοῦ (libri αὐτὸν) Λυσίαν (libri Λυσίου) ἔτεσί που δέκα. Qua scriptura restituta omnia in vado sunt. Nam quum Andocides iudice Plutarcho, quocum etiam alii consentiunt, natus sit Olymp. 78. 1. = 468. a. Chr. n. quo anno Theagenides gessit archontis magistratum (v. Clinton. Tabul. Chronologg. ad Olymp. 78. 1.); Lysias autem teste Diodoro, Photio, Plutarcho, Diogene, Olymp. 80. 2. = 459. archonte Philocle lucem adspexerit, nullo negotio inde efficitur, ut Lysias circiter decem annis Andocidis aetatem superaverit. Quod ipsum apud Plutarchum de coniectura nostra ita restituimus, ut ipsa emendationis facilitas eius veritatem praestare videatur. Itaque probata hac emendatione videmur iam tandem omnes istas turbas composuisse, quae nuper de chronologicis rationibus excitatae sunt, neque amplius ea, quae de Lysiae temporibus exposuimus, ulli dubitationi obnoxia fore arbitramur.

Sed satis haec pro consilii nostri rationibus de vita atque studiis Lysiae, deque temporum finibus, quibus ea tanquam terminis quibusdam inclusa teneantur. Quibus disputationis nostrae quasi fundamentis iactis perrexisse iuvabit ad quaestionem, quam ab initio libri a nobis tractatum

iri ostendimus. Censuerunt igitur viri praestantissimi, quibuscum nobis disputatio est, res et fortunam Lysiae utique tales fuisse, quae, ut Phaedri Platonici origines ad philosophi iuventutem referantur, propemodum necessitate quadam cogant et impellant. Nam primum quidem contendunt, vel propterea Phaedrum ante Olymp. 94. 1. scriptum putari oportere, quia nulla in eo ratio ducatur orationum iudicialium, quas Lysias inde ab illo tempore scribere occeperit. Deinde vero etiam fieri potuisse negant, ut ille, utpote Olymp. 98. iam senex grandaevus factus, isto modo, quo in Phaedro institutum sit, a Platone carperetur et exagitaretur; factum enim hoc ita esse, ut neglectis eius meritis, quae sane magna fuerint atque singularibus laudibus digna, propemodum iniuste atque contumeliose tractatus esse iudicari debeat. Itaque nostrum putamus diligentius perquirere ac diiudicare, quo iure ista omnia ita statuantur. Quod quidem ea ratione facere animum induximus, ut utrumque istud iudicium seorsum examinemus, et quid ponderis quodque habeat, brevi disputatione declaremus.

Itaque ante omnia exquisivisse iuvabit, quam recte statuatur, Phaedrum ante Olymp. 94. in lucem prodiisse, propterea quod per totum sermonem nulla usquam iudicialium Lysiae orationum habita sit ratio.

Fatemur vero statim ab huius disputationis initio, videri nobis eam sententiam fundamento niti admodum infirmo ac prope nullo. Nam primum quidem in superioribus vidimus parum verisimiliter statui, quod illi pro certo sumunt, Lysiam ante Olymp. 94. 2. nullas omnino orationes iudiciales scripsisse. Deinde nec ullo argumento probari potest, quod item suo statuerunt arbitratu, rhetorem celeberrimum post Olymp. 94. 2. panegyricum ac demonstrativum scribendi genus omnino deseruisse. Itaque facile apparet argumentationem ipsorum vel ex hac parte magnopere claudicare neque recto talo stare. Sed praeterea etiam caussae et rationes in promtu sunt, unde facile intelligatur, cur Lysiae eloquentia iudi-

cialis in Phaedro non sit in disceptationem vocata. Etenim primum quidem hic meminisse debemus, quo tempore colloquium habitum fingatur. Id quod tam certo exploratum habetur, ut ea de re nulla plane possit esse controversia. Iussit enim philosophus illud intra Olymp. 92. 1. et 93. 3. institui, de qua re satis a nobis expositum est in commentatione de Phaedri Platonici primordiis scripta. Quo quidem tempore quum utique verisimile sit Lysiam maxime rhetoris laudem affectavisse atque scriptis inclaruisse maximam partem aliis atque iudicialibus, nonne ipsi rei plane fuit consentaneum, declamationem potius ipsius aliquam, quae ad patefaciendam artis ingeniique virtutem comparata esset, quam orationem iudicialem proferri et in disceptationem vocari? Enimvero ita profecto intelligitur clarissime, legem verisimilitudinis a scriptore religiose conservatam esse; quam quidem legem a Platone nec alibi meminimus ita violari, ut factum in Phaedro esset, si iam Olymp. 93. de forensi Lysiae eloquentia sermo habitus fingeretur. Quocirca vel per temporum rationes, quibus sermo habitus est, fieri nullo modo potuit, ut iudiciales viri orationes aut diserte memorarentur aut sub examen vocarentur.

Sed praeterea etiam aliud quid est, unde evidentius intelligatur, cur iudicialis Lysiae eloquentia non in disputationem vocata sit. Nam id quominus ita fieret, prohibuit inprimis etiam universi operis argumentum atque finis ei propositus, cui ipsum quoque habiti colloquii tempus maxima cum ingenii sollertia accommodatum est. Etenim ubi curiosius quaesiverimus, quidnam tandem sit, quod tamquam summum atque ultimum toti Phaedri scriptioni denique propositum sit, certe illud non aliorsum pertinere fatendum erit, nisi eo, ut caussae ac principia philosophiae in rerum divinarum amore atque artis dialecticae usu quaerenda esse ostendatur, atque una eademque opera etiam demonstretur, ex una maxime philosophia, ubi secundum ipsius

legem amor iuventutis in Graecia usitatus atque eloquentia fuerint in melius mutata, etiam maxima commoda maximasque utilitates in vitam hominum communem redundatura esse. Hoc igitur quum manifesto sit primarium operis argumentum et consilium, quis est quin ultro fateatur, in tali certe caussa nullo pacto potuisse fieri, ut iudicialis aliqua Lysiae oratio pro amatoria illa proponeretur, cuius exploratione tam vis animi divinarum rerum sincerissimo amore repleti quam verae germanaeque artis dialecticae praestantia demonstraretur atque palam fieret? Ut igitur Lysias eadem illa aetate, qua Phaedrus Platonis litteris consignatus est, iudiciali scribendi genere iam adeo excelluerit, ut maximam ideo nactus esset nominis sui famam et celebritatem, tamen nequaquam ex huius rei silentio continuo colligere licet, quod viri docti inde colligi voluerunt, Phaedri origines hanc ipsam ob caussam non incidere in provectiorem Platonis aetatem. Neque enim per ipsius argumenti, quod in hoc libro tractatur, rationes ullo modo fieri potuit, ut sermo in forensi Lysiae eloquentia aestimanda iudicandaque versaretur.

Quamquam ne verum quidem est, quod vulgo existimant, Lysiae orationes iudiciales in Phaedro nusquam tangi, eiusque operam, quam huic scribendi generi impenderit, ne verbo quidem significari. Nam etiamsi id non verbis disertis factum est, tamen uno saltem loco non ita obscure fit. Est is p. 257. C., ubi Lysias narratur nuper a viro quodam in rebus publicis versato rerumque civilium curioso tamquam *scriptor orationum*, λογογράφος, contemtim tractatus et malitiose reprehensus atque castigatus esse. Ad quem locum scite Scholiasta monet, neutiquam in honore habitos fuisse τοὺς ἐπὶ μισθῷ λόγους γράφοντας καὶ πιπράσκοντας αὐτοὺς εἰς δικαστήρια; atque observari omnino debet, id genus scriptores ab iis, qui plus saperent, etiam pro semidoctis et virorum civilium tamquam simiis quibusdam

habitos esse, quum ipsi sibi saepe rerum civilium prudentissimi esse viderentur, sicuti patet ex Plat. Euthydem. pag. 305. Itaque ex his nullo negotio, opinor, intelligitur, notari sane ibi Lysiam tamquam scriptorem civilem et caussidicum. Neque profecto viro in republica versato tam sophistica illa et panegyrica scriptio videtur stomachum movere potuisse, quam scriptio forensis et iudicialis, quippe quae cum suis ipsius rationibus arctiorem quandam necessitudinem haberet easque propius attingeret.

Iam vero haec omnia si probabiliter a nobis disputata sunt, nec amplius obscurum erit, quid de summa re, quam disceptandam sumsimus, denique iudicandum sit. Quippe minus recte viri doctissimi ita videntur statuisse, ut Phaedri Platonici origines putaverint ad Olymp. 93. 4. aut 94. 1. propterea referri oportere, quod nulla in eo ducatur ratio forensis eloquentiae, qua Lysias utique inde ab eo tempore excelluerit. Nam et notatur sane veluti per occasionem ut iudicialium orationum scriptor, et caussae in promtu sunt, cur fieri non potuerit, ut disputatio instituta in rimandis eius virtutibus vel vitiis in eloquentia civili ab eo expromtis de industria versaretur.

Atque his utcunque expeditis accedimus tandem etiam ad alterum, quod supra ostendimus a nobis in quaestionem vocatum iri. Quippe censuerunt viri praestantissimi, magnam futuram fuisse indignitatem, si Plato non dubitavisset id committere, ut grandaevum senem optimumque oratorem, qui ad laudem eloquentiae haud vulgarem pervenisset, ita pugnis quasi caedere atque crudeliter plectere auderet, uti in Phaedro factum sit. Nam quum censura de ipsius arte rhetorica iam per se acerbior sit, tum illam etiam duram et prope inhumanam videri debere arbitrantur, ubi reputemus, eam adversus virum annis meritisque gravem institutam esse. Ex quo colligunt, ne Platonis quidem huma-

nitati conveniens fore, si ille existimetur opus celeberrimum aetate iam provectiore composuisse. En argumentum sententiae contrariae perquam grave illud et ponderosum, quod sane unumquemque tanto facilius moveat, quod adeo ad humanitatis sensum pertinet, cuius nemo profecto neque ipse expers videri nec Platonem expertem fuisse voluerit. Verum enimvero quantumvis illud plurimum valere videatur, tamen neutiquam eiusmodi esse arbitramur, ut elevari aut infirmari nullo modo possit. Quocirca legentes humanissime rogatos volumus, ut ne caussa indicta faciant iudicium, sed benigne accipiant quae pro sententia contraria in medium allaturi sumus.

Et ante omnia quidem in cognoscenda hac caussa atque iudicanda illud arbitramur diligenter tenendum esse, de quo post ea, quae supra strictim de vita Lysiae explicavimus, nemo quisquam ullo modo dubitaverit, Lysiam utique munus rhetoris et orationum scriptoris in se admodum sero suscepisse, siquidem Athenis demum ad aliquam hoc in genere laudem pervenisse existimandus est. Nam quo tempore Thuriis Athenas rediit, habuit iam, si qua optimis auctoribus fides est, quadraginta septem aetatis annos. Rediit autem Olymp. 92. 1. Agamus ergo liberaliter, atque ultro concedamus, Phaedrum intra Olymp. 93. 3. et Olymp. 94. 2. compositum esse, id quod alii ita factum esse arbitrantur. Ita vero sponte consequitur, Lysiam vel sic admodum grandem aetate fuisse quo tempore Plato Phaedrum ediderit. Natus enim tum minimum plus quam quinquaginta annos fuit. Quid igitur? num de homine tot annorum putabimus Platonem salva modestia et humanitate scribere potuisse quae in Phaedro scripsit; de viro septuagenario eadem scribere potuisse negabimus? Quasi vero istud pauculorum annorum spatium, praesertim ista aetate, eam vim habeat, ut eo iusti et iniusti, aequi et iniqui, decori et indecori, fines

plane immutentur aut discrimina eorum funditus tollantur. Itaque tantum abest, ut qui dialogum Platonis propter eam, quam diximus, caussam ad Olymp. 93. referunt, sibimet ipsis hac in re satis constare existimandi sint, ut egregie secum pugnent, quippe qui de homine fere sexagenario scribi potuisse largiantur, quae de septuagenario scripta modestiae et urbanitati contraria fuisse futura graviter asseverant.

Sed mittamus haec, ac videamus potius de reliquis, quae ad hanc quaestionis institutae partem pertineant. Exploratum igitur illud habemus certissime, Lysiam admodum sero ad artis oratoriae professionem et orationum iudicialium scriptionem animum appulisse. Cum hoc ipso autem etiam aliud quid coniunctum est, quod non minus diligenti animadversione dignum censemus. Etenim rhetor clarissimus etiam solito longiorem studiorum tanquam cursum emensus est, quandoquidem ad summam usque senectutem in colenda eloquentia elaboravit. Quod quidem vel eae, quas superstites habemus, ipsius orationes clarissime testantur, quippe quarum non paucae ab ipso ea aetate litteris exaratae sunt, unde facile intelligatur, eum scribendi negotium ne postremis quidem annis vitae rara diuturnitate conspicuae plane intermisisse aut seposuisse. Quum vero inprimis iudiciales, quas edidit, orationes, utpote purissime ac nitidissime scriptae, laudes eius mirum quantum auxisse et amplificavisse videantur, tum facile suspicari licet ita factum esse, ut a plurimis virtutes, quibus hae erant insignes, etiam alterius generis scriptionibus, maxime ad ingenii artisque ostentationem comparatis, attribuerentur. Id quod sane tanto verisimilius est ita accidisse, si rhetor, quamvis aetate provectior, tamen usque iis elaborandis operam dedit, sicuti in superioribus videmur demonstravisse. Ita vero necessario evenit, ut Lysias etiam post Olymp. 94. vulgo is

haberetur, qui in omni scribendi genere excelleret, et a multis tamquam summus rhetor coleretur, quemadmodum fit a Phaedro Myrrhinusio in cognomine Platonis dialogo. Quid vero? Haec si revera fuit rerum conditio, num adhuc mirabimur, quod Plato a se impetrare potuerit, ut oratorem senem, qui Olymp. 98. in., quo tempore Phaedrum scriptum putamus, annos fere unum et septuaginta habebat, hostiliter adoriretur et quantum ipsius eloquentia non modo a recta ratione verum etiam a philosophiae laude abhorreret, luculente patefaceret ac demonstraret? Nimirum florebat ille etiamtum fama haudquaquam mediocri; vigebat item eius ratio ac disciplina magnique aestimabatur a plurimis; celebrabatur denique omnino ars rhetorica mirifice, ut adeo officere videretur studiis philosophiae, quam Plato in patriam redux factus tradere et cum aliis communicare animum induxerat. Quae omnia sane fuere eiusmodi, quae philosophi animum a tali eloquentia plane aversum deberent graviter commovere adeoque ipsum impellere, ut virum, quamvis grandi senectute conspicuum, tamen reprehendendum et castigandum statueret, praesertim quum ne de iudiciali quidem eius eloquentia admodum honorifice sensisse videatur.

Verum his omnibus addendum est denique etiam aliud quid, unde universae rei ratio tandem plenius cognoscatur atque rectius intelligatur. Tantum enim abest, Plato ut in ea, quam egit, censura unum Lysiam, quippe cui inimicus esset, ob oculos habuerit, ut longe maius quiddam spectavisse existimari debeat. Voluit enim omnes omnino rhetores et sophisticos oratores e Siculorum disciplina profectos, uno excepto Isocrate, vellicare ac perstringere, quippe quorum artem rationemque a vera sapientia censeret alieniorem esse atque tam ieiunam, tam aridam, tam denique a cogitandi altitudine ac sublimitate aversam putaret, ut meris argutiarum tricis et solo artificiorum quorundam scite excogitatorum usu contineri videretur. Quocirca Lysiam non tam suam ipsius personam sustinere quam reli-

quorum rhetorum ipsi similium omnium partes agere voluit. In quo eadem fere ratione versatus est atque Aristophanes. Hunc enim constat in Nubibus Socratem ut principem sophistarum perstrinxisse eique partes imposuisse omnium istorum sapientium, qui more Protagoreo in rimandis inanibus argutiis versarentur; in Ranis autem Euripidem ut argutorum, tinnulorum atque mollium poetarum tragicorum ducem et antesignanum in scenam prodire iussisse, quo simul reliqui id genus poetae riderentur ac deluderentur. Quam rationem ne quis a scriptore dialogorum in philosophiae copiis explicandis occupato alienam esse arbitretur, cogitet is atque secum reputet, quantum cognationis sermones Platonici cum poetarum scenicorum, inprimisque comicorum, fabulis habeant. Neque profecto alia Platonis scripta nulla exhibent similis rationis exempla. Id quod vel unum Symposium satis probat, in quo qui loquentes introducuntur, ii similiter plane descripti et informati sunt, atque Lysia factum in Phaedro est. Imo etiam Protagorae, Gorgiae, Thrasymachi, Parmenidis, aliorum personae, si verum fateri volumus, non multo aliter iudicandae vel intuendae sunt. Itaque etiam Lysiam Platonicum, ut diximus, hac ex parte spectandum iudicandumque arbitramur. Quem unum potissimum quod philosophus delegit qui istas partes ageret, acute profecto ille pervidit haud facile alium reperiri potuisse rhetorem suae aetatis, in quem commodius et maiore specie verisimilitudinis omnia conferri vitia possent, quae in aetatis suae rhetoribus haererent quaeque in eo potissimum posita essent, quod illi omnia fere tribuerent artificiis oratoriis scite callideque excogitatis, parum curarent sententiarum veritatem atque gravitatem, quae ex limpido philosophiae fonte manaret et verae germanaeque eloquentiae laudem una efficeret et procrearet.

Enimvero primum quidem Lysias illa aetate utique rhetor pariter celeberrimus fuit, atque scriptor orationum fertilissimus, qui quum e di-

sciplina rhetorum Siculorum prodiisset, tum postea Athenis non modo artem erat professus, sed etiam usque scribendis tam iudicialibus quam panegyricis operibus praeclari rhetoris laudem et sequutus, et vero etiam assequutus erat; nam nec demonstrativum dicendi scribendique genus ab ipso provectiore aetate unquam fuisse intermissum verissime coniectari licere supra ostendimus. Quis est igitur, quin eum vel hoc nomine fateatur elegantissime delectum esse, ut communem rhetorum istorum omnium personam sustineret? Nimirum factum id est profecto tanto rectius atque sollertius, quod ille in arte certe colenda atque docenda non videtur processisse ulterius, quam factum esset ab iis, qui in Phaedro p. 266. D. sqq. 269. A. propter philosophiae contemtum et neglectionem acerrime reprehenduntur, hoc est, a Tisia, ipsius praeceptore, Theodoro, Polo, Protagora, aliis. Praeterea vero etiam ipsum dicendi genus, quo Lysias utebatur, tale fuit, cuius exemplo non sine specie veritatis demonstrari posset, quidnam tandem esset, in quo isti eloquentiae professores, quantumvis arte sua mirifice superbientes, tamen miserandum in modum ruerent atque graviter peccarent. Etenim Lysiam omnes communi iudicio consentiunt uno maxime scribendi genere *tenui*, quod vocant, excelluisse. Hoc autem dicendi genus fuit sane iudicialibus, quas scripsit, orationibus conveniens, quandoquidem ipse, ut ait Cicero De optim. gen. or. c. 3. extr., versabatur in caussis minutis, ad quas orationem suam consulto accommodabat. Quocirca hanc ob caussam etiam laudem tersi, puri, simplicis denique, oratoris facile consequutus est, praesertim quum, quidquid scriberet, id totum locis, temporibus atque ipsis hominibus, quibus esset scribendum, elegantissime attemperaret. Verum enim vero idem tersum illud genus dicendi scribendique fieri non potuit quin videretur ieiunius, sicubi adhiberetur demonstrativis et panegyricis scriptionibus, quae profecto maiorem quandam sententiarum copiam et ubertatem, insolentiorem sensuum alacritatem et sublimita-

tem, denique ampliorem philosophiae vim atque magnificentiam requirunt. Quamobrem Lysias hac quidem in parte nec veteribus criticis usquequaque probatus est. Audias enim Ciceronem Orat. c. 9. §. 30. *Nam qui Lysiam sequuntur, caussidicum quendam sequuntur, non quidem illum amplum atque grandem, subtilem et elegantem tamen, et qui in forensibus caussis possit consistere,* h. e. in aliis scribendi generibus aliis facile palmam concedat. Brut. c. 9. §. 35. *Nihil acute inveniri potuit in iis caussis, quas scripsit, nihil, ut ita dicam, subdole, nihil versute, quod ille non viderit; — nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum vel verborum gravitate vel sententiarum, in quo quidquam inesset elatius.* De optim. dic. gen. c. 3. *Imitemur si poterimus, Lysiam eiusque tenuitatem potissimum; est enim multis in locis grandior; sed quia et privatas ille plerasque et eas ipsas aliis et parvarum rerum causulas scripsit, videtur esse ieiunior. — Ita fit, ut Demosthenes certe possit summisse dicere; elate Lysias fortasse non possit.* Praeterea etiam consulas Dionysium Hal. in Lysia §. 2. 13. 28. Hermogenem De Form. Orat. Vol. III. pag. 381. ed. Walz. alios, de quibus exposuit Hoelscherus De Vita Lysiae p. 31. sqq. Itaque sollertissime Plato ipsum hoc quoque nomine iussit eum esse, qui rhetorum quasi princeps et antesignanus esset eorumque omnium tanquam vicibus fungeretur. Quod quidem tanto maiore cum verisimilitudine ita instituit, quod sermo viri vel in iudicialibus orationibus nescio quem fucum artificii rhetorici refert, ductum illum sine dubio ab Siculorum artificum disciplina. Nam creberrimus sane apud ipsum est usus figurarum quarundum oratoriarum, qualis cernitur in ἀντιθέτοις, ἰσοκώλοις, παρίσοις, παρομοίοις, ὁμοιοτελεύτοις, aliis similibus artificiis, quae apud alios Atticos oratores multo rarius reperiuntur. Callidissime igitur philosophus tribuit clarissimo rhetori orationem valde ieiu-

nam, altiore spiritu fatiscentem, argutiis plenam ac refertam, grandibus ac magnificis, imo etiam veris, sententiis cassam, denique a philosophandi ratione adeo alienam, ut ne ordo quidem rerum dilucidus aut singularum partium descriptio recta et probabilis in ea animadvertatur. Ex quo apertum esse debet omnibus, quid Platoni, dum rem ita instituit, omnino fuerit propositum. Nimirum ille quum ita Lysiam egregie ad veri similitudinis speciem adumbraverit ac descripserit, ut adeo non defuerint, qui orationem ei tributam non a philosopho imitando compositam, sed ab ipso Lysia scriptam arbitrarentur, tum vitiis multis atque variis in unum coacervatis neutiquam unum illum voluit corripere et exagitare, sed potius studuit rhetores istos omnes perstringere, qui inanibus disciplinae rhetoricae artibus atque studiis dediti essent, vel etiam illis mirum quantum tribuerent. Quapropter etiam faciendum putavit, ut Lysiae quaedam attribuerentur per superlationem. Quippe falsi sunt sine dubio qui orationem Lysiae tributam putarunt ab ipso rhetore factam et a Platone sermoni suo interpositam esse. Imo Plato illam composuisse existimandus est, quippe qui id egerit, ut insigniora rhetorum vitia veluti in arctum contraheret atque luculento exemplo demonstraret, quam non esset difficile, istiusmodi opera, quibus illi mirum quantum superbirent, vel ludibrii caussa componere. Ab ipso Lysia autem eam esse profectam vel propterea non est credibile, quod rebus diligentius consideratis tantis laborare vitiis existimanda est, ut non temere iudicaverit Taylorus Vit. Lysiae pag. 103. sqq. eam esse inepto sophista quam rhetore tenui atque subtili digniorem. Nimirum declamatoriae Lysiae scriptiones philosopho praebuerunt ansam commodissimam, qua ad oratorem isto modo, quo fecit, in scenam inducendum uteretur. Quamquam ne iudiciales quidem eius orationes, si quid iudicare possumus, Platoni tales videri potuerunt, quae consilio suo ullo modo adver-

sarentur. Quae etsi iis conspicuae virtutibus sunt, quibus eas antea vidimus utique excellere, tamen philosophandi sublimitate, sententiarum granditate, adeoque disserendi subtilitate, qualem philosophus oratore unice dignam putavit, sane carere iudicari debent. Assensit igitur Plato, ut videtur, morienti magistro, de quo Cicero De Orat. I. 54. *Quum ei* (Socrati) *scriptam orationem disertissimus orator, Lysias, attulisset, quam, si videretur, edisceret, ut ea pro se in iudicio uteretur, non invitus legit et commode scriptam esse dixit; sed, inquit, ut si mihi calceos Sicyonios attulisses, non uterer, quamvis essent habiles et apti ad pedem, quia non essent viriles, sic illam orationem disertam sibi et oratoriam videri, fortem et virilem non videri.* Quam narrationem, etiam a Diogen. Laërt. II. 40. memoriae proditam, frustra fuerunt qui in malae fidei suspicionem adducere nuper conati sunt. Confirmatur certe etiam Platonis de eloquentiae dignitate sententia non mediocriter. Quocirca Plato ne hoc quidem nomine Lysiae, quantumvis seni, parcendum esse iudicavit; imo eum habita civilium quoque orationum ratione tanquam in exemplum omnibus ante oculos poni posse arbitratus est, unde disceretur, quibusnam ex rebus vera eloquentiae laus repetenda esset.

Certissimum igitur putamus esse, Lysiam in Phaedro non suam tantum personam sustinere, sed potius eum induci, qui omnino omnium oratorum a philosophia alienorum partes agat. Quamobrem etiam Isocrates is informatus est, qui rhetorices, philosophiae opibus locupletatae atque emendatae, sive spem faciat sive expectationem sustineat. Hoc autem si vere ita esse iudicatur, qui fieri potuerit, ut Plato oratorem, licet tum seniorem, reprehendere et castigare constitueret, sponte apparet. Nam non tam singulari aliquo odio ductus ipsum corripuit, quam studio philosophiae incensus et inflammatus totam istam rhetorum nationem, qui

ipsi propter inanem verborum pompam et philosophiae neglectionem maxime erant invisi, exagitavit, produxitque illum in medium non alio modo, quam quo Aristophanes Socratem et Euripidem in scena derisit. Iudicavit enim illum ad hanc rem esse aptissimum, quippe in quem facillime salva specie veritatis ea vitia omnia possent conferri, quibus vulgaris rhetorica contaminata esset. Atque inde iam etiam intelligetur, nequaquam inficete scripta esse illa pag. 278. C. D. quo loco Lysias monetur, ut sese aliquando ad philosophiae studium convertat, et p. 257. B. ubi Socrates idem illud Lysiae precatur ab Amoris numine. Nimirum ista quum propter tempus colloquii circa Olymp. 93. habiti recte et cum specie veritatis ipsi Lysiae dicantur, tum Olymp. 98. in., quo tempore scriptum putamus dialogum, non tam Lysiae quam eorum caussa monita esse putanda sunt, quorum ipse partes agere in Phaedro iussus est. Neque enim putare licet, Platonem, quo tempore haec scripsit, Lysiae senectutis plane fuisse immemorem adeoque insulse et intempestive senem grandaevum cohortatum esse, ut tandem mente mutata institutam studiorum viam desereret et ad meliorem mentem reverteretur. Quo quidem consilio nihil profecto cogitari potuisset perversius. Imo philosophus illis verbis suis ceteros, qui eloquentiae studiosi extitissent, omnes inprimisque iuniores monitos esse voluit, quaenam via ingredienda atque tenenda esset, ut ad verae germanaeque eloquentiae laudem perveniretur adeoque ipsa ars rhetorica aliquando in melius mutaretur. Quod quidem non temere ita ab eo factum esse, etiam exinde perspicuum est, quod quum aliunde tum inprimis ex Isocrate De antidos. §. 18. §. 171—173. §. 270—280. Panathen. §. 232. Helen. Laud. §. 209. 210. constat, sophistica rhetorices studia a Platone castigata atque orationum tam iudicialium quam panegyricarum scribendarum consuetudinem etiam postero tempore usque viguisse.

Verum satis haec de argumento, quod pertractare nobis propositum fuit. Quibus si id effecisse videbimur, ut ne ex iis quidem, quae in Phaedro de Lysia perscripta leguntur, consequi existimetur, quod multi putarunt, libri origines non posse ad maturiorem philosophi aetatem referri, sed pertinere ad eius iuventutem, nos aliquid saltem ad chronologiam scriptorum Platonicorum certius constituendam contulisse arbitrabimur.